Vladislaus IV. Poloniarum Rex.

Heidenstein (Joannes): Vladislao IV. Poloniae et Sveciae Regi – ob domitos hostes – panegyricum dedicat gratulabundus. 1636.

VLADISLAO IV.
POLONIAE ET SVECIÆ
REGI.
MAGNO, FELICI, VICTORIOSO.
OB
DOMITOS, FRACTOS, SUBACTOS, FORTI DEXTRA, PRUDENTI CONSILIO,
HOSTES
QUI
SEPTENTRIONIS ET ORIENTIS VIRIBUS, OPIBUS, POTENTIA, EVERTERE

POLONIAM SATAGEBANT.

PANEGYRICUM
IOANNES HEIDENSTEIN SOLLESCIUS.
DEDICAT, CONSECRAT, OFFERT
GRATULABUNDUS.



ANNO CHRISTI M. DC. XXXVI.

MARCELLUS PALINGENIUS IN ZODIACO VITÆ.


GIGNIT AMOR PACEM; PAX EST DIGNISSIMA RERUM,
Omnia pace vigent, & pacis tempore florent:
Pacis summus honos, paci est quoque summa voluptas.
Tunc tuti vivunt homines, tutusq; viator
Carpit iter, nec fit sæuorum præda latronum:
Tunc apium cura & pecoris, tunc arua coluntur
Assiduè, & largas pariunt pro tempore fruges:
Copia tunc Cereris, tunc lac, tunc Bacchus abundat,
Palladiusque liquor: tunc passim luditur, & tunc
Inflata ad thyasos invita tibia. Soli
Oderunt pacem stulti, & certamina quærunt.
Talia fluxerunt Saturno tempora rege:
O FOELIX ÆTAS, IPSO PRECIOSIOR AURO!

VLADIS-



VLADISLAO IV. POLONIAE ET SVECIÆ REGI.

POTENTISSIME, AC INVICTISSIME REX.



POLONIÆ totius lætitia & tranquillitas me civem suum & Tuum; Tibi ad congratulandum, sibi ad congaudendum, excitavit. Cùm enim viderem prostratos hostes, superatos adversarios, tutum ab incursionibus hostilibus Regnum, pacatam patriam; atque cunctos ob eam felicitatem exultantes; animus etiam meus gaudio effusus, Tuique beneficii, sui verò officii memor, in laudes Majestatis Tuæ excurrere properavit. Equidem & patriæ fortuna, quam Tu ornasti tot victorijs, tot triumphis clariorem effecisti: & Tua in armis fortitudo, in rebus gerendis dexteritas, id ab omnibus requirunt, ut Tuum nomen ad æthera ferant. Ego ne inter cæteros solus taceam? Reipublicæ salus, celebritas nominis Tui, militum strenuitas, qui Tuis auspiciis & ductu immortalem gloriam sibi pepererunt, meus denique in Rempub. in Majestatem Tuam, in concives meos affectus, & amor, aliud à me jure suo reposcunt. Quod denegare, impij; non præstare, ingrati animi foret indicium. Patriam enim non ornare cùm possis; Principi pro summis beneficijs non referre gratiam, cùm debeas; dementis potius, quàm temerarij hominis est. Ornarunt Poloniam & doctrinâ, & arte militari, fortes prudentesq; viri plurimi; Tibi quoq; Principi suo, universi cives pro laboribus, quos eorum causâ, periculosissimis temporibus perpessus es, publicè privatimque gratitudinem declararunt. Superest, ut illi etiam, quos aut casus fortunæ huic, ut Tibi patriæque gratularentur surripuit; aut temporis locique incommoditas officio subtraxit; in publica omnium ordinum exultatione Tuæ Majestati, atque Reipubl. Panegyricos triumphantes præsentent. Et meum quidem REX INCLITE, rudem ac aridum pro innata bonitate non respues. Atlantis fortasse opus aggressus sum, quem Poëtæ cœlum humeris suis sustentare fingunt; cùm Tuas divinas virtutes, levi scriptionis genere, prout ingenij & ætatis meæ fert teneritas assequi conor; cùm calamo cælitus Tibi immissas dotes efferre ac sustinere elaboro. Attamen stabilis permanebo, si Tua humanitas meam dictionis sterilitatem leniens accesserit; firmiter sub onere hoc consistam, si Tuæ benevolentiæ radiis, obscuritatem sermonis mei illustraveris. Ea enim vera Regum gloria est, si subditorum suorum affectum æquo animo suscipiant, & potius imbecillitatem eorum, quàm magnitudinem

tudinem

tudinem suam respiciant ac considerent. Tuæ victoriæ ac trophæa, Tua in armis præstantia, Tuæ virtutes, præconem Demosthenі, aut Pericli, qui dicendo tonare, fulgurare, permiscere Græciam visus est, similem efflagitant, meam verò tenuitatem rejiciunt. Verùm sicut aviculæ penes generosas aves, suam quoque habent commendationem, cum non magnitudine, aut pulchritudine, sed cantilenis & suavitate vocis cum majoribus certant: ita etiam ego inter disertos & facundos oratores, solus ubertate verborum, gravitate sententiarum destitutus, prodibo. Suscipe itaque REX MAGNE *Panegyricum hunc, qui Moscum, Turcam, Suecum; hostes Tuos partim vi ad reverentiam nominis Tui redactos, partim prudentia mitigatos ac pacatos esse orbi demonstrabit; qui Tuas præclaras actiones extollet & prædicabit. Ostende hilaritate frontis Tuæ, ac benevolo vultu, neminem infeliciter sub Tuo regimine artes honestissimas tractare. Declarasti jam militem Tuo ductu vincere, & ad gloriam pervenire posse, declara etiam, studia nullibi tutius ac utilius domicilium, quàm in* POLONIA *habere. Vive* REX INVICTE *& Regna longissimo & felicissimo tempore, ut Tuorum quoque annorum, & imperij incremento* POLONIA *illustretur. Datum* SOLLENCINII *Anno Domini 1636. die Mensis 20. Martij.*

MAJESTATIS TUÆ

Obsequentissimus subditus

JOANNES HEIDENSTEIN
SOLLESCIUS.

PANEGY-

VLADISLAO IV. POLONIAE ET SVECIAE REGI.

OB PACATOS, MOSCOS, TURCAS, SVECOS

AB IOANNE HEIDENSTEIN SOLLESCIO.

DICATUS.



GRATULABUNDUS ad Te triplici conſpicuum ac redimitum laureâ REX MAGNE accedo. Moſcorum enim perfidiam magnanimitate domuiſti; Turcarum ferociam, fortitudine contriviſti; Suecorum pertinaciam, tempore mitigaſti. Quæ victoriæ ac laureatæ coronæ, quo majorem in animis hominum admirationem excitant, eo frequentiores applauſus, & ferventiora vota univerſa POLONIA ſe Tibi debere, ſolenniter recognoſcit. Nec ſane aliud vel ad nominis ſui immortalitatem illuſtrius, vel ad propagandos terminos validius, vel ad amplificandam imperij dignitatem præclarius, à Te expectare potuit, quàm cùm hoſtes illos fugares ac tolleres, qui non modo Regnum tot ſæculis celebre, verum etiam nomen POLONUM tot nationum invidarum, aures offendens interire ac radicitus extirpare exoptabant. Imminebant jam cervicibus noſtris, imminebant & fortunis, quos niſi pectore gazâque Tua à majoribus per manus Tibi tradita repuliſſes, & vita & bona noſtra, uno ictu oculi in exitium fuiſſent præcipitata.

cipitata. Atque ſic unus pro omnibus vigilaſti, ut cæteri ſecurè ſomnum carperent; pectus Tuum oppoſuiſti, ut alij incolumes permanerent; famem & ſitim perpeſſus es, ut cives abundarent, quod demum, verè regnare eſt. Qua in re non tam felicitatem noſtram, quam immenſi Dei, inæſtimabilem bonitatem deprædicamus, quod Tibi gubernacula Regni hujus conceſſerit, qui hoſtium calliditatem prudentia, audaciam potentia, temeritatem conſtantia, ſcias & valeas reprimere ac infringere. Nam cùm undiquaque atrociſsimis circumſepti ſimus inimicis, hoc unicum anxiè deſiderabamus, ut talis ſingulari Dei beneficio Princeps nobis contingeret, qui & hoſtium terror, & civium propugnator exiſteret. Te ejuſmodi Regem quoniam nacti ſumus, qui deſiderijs noſtris abundè ſatisfacias, non proſequemur laudibus, non gratulationibus excipiemus? Si univerſa Chriſtianitas Tuum nomen veneratur, ſi Orbis totus, ad tuam famam, exultans ſeſe erigit, nos cives Tui, ſenſum noſtrum non promemus? Quæ eſſet iſta inhumanitas, quæ ingratitudo; ejus heroica facinora reticere, qui humanitatis & grati animi ſui viva præbet omnibus documenta? Manent Te trophæa, applauſus, acclamationes; & quod ſupra omnia eſt, Amor ſubditorum: quem quantumvis divis prædeceſſoribus Tuis, inviolatum ſemper ſervavimus ac demonſtravimus; attamen hoc tempore, Tibi talem ob merita exhibemus, qualem ob reverentiam tantæ majeſtati debitam exhibere teneremur. Cùm enim Tua pericula & aſſiduos labores diligenti cogitatione perpendimus, omnia noſtra Tua ſunt, qui unus omnium noſtrum es. Quicquid laboraſti, aut ſudaſti his formidoloſis bellis, nobis acquiſiviſti, nobis congregaſti;

ita ta-

ita tamen, ut nos hæc omnia, non tam nobis, quàm Tuæ majeſtati eſſe acquiſita putaremus ac vellemus. Contra hoſtes Tibi & nobis infenſiſsimos, quoties progreſſus es, toties urbium expugnator, & regionum poteſtati Tuæ ſubjectarum defenſor appellatus, victoriarum aggregatione extitiſti felicior. Hinc illæ fauſtæ congratulantium voces, hinc illa omnium, ab imo pectore deducta ſuaviter ſuſpiria, quæ cùm in ipſis præcordijs ſeſe continere non poſsint, foras erumpunt, & tanti Regis facta juſto encomio proſequi potius malunt, quàm ingrato ſilentio præterire. Nam facilius armatas hoſtium copias continere, quam exundantem lætitiâ animum cohibere queas, ne id quod ſentit in aliorum cognitionem deducat. Naturam potius perfringas, quàm mentem immutes, quæ ſerena & placida, ſuorum Principum actiones, cum ſuavitate quadam ſibi repræſentat. Hic animus, hæc mens POLONORUM eſt, ut Tibi pro tantis in Rempub. noſtram collatis beneficijs, debitos perſolvant honores, debita Tuæ Majeſtati rependant præmia. Impares quidem ſumus Tuis meritis, verùm (quod Magni Reges facere conſueverunt) puſillum non recuſabis: non quod vellemus, ſed quod poſſumus. Inter multos nomen Tuum celebrantes, ego quoque me ingeram, & Tibi VLADISLAE MAGNE, (velut Artaxerxi inter opulentiores, aurum & gemmas offerentes pauper ille, pauxillum aquæ cùm aliud non haberet obtulit) hoc manifeſtum animi mei, & gratitudinis inditium offeram. Veniam dabis, ſi id non pro dignitate & majeſtate Tua præſtitero. Affectus enim, qui ſuarum virium non expendendo tenuitatem, cæcus eſſe quan-

doque

doque ſolet, admonet; ut Tuam in profligando Moſco celeritatem & Clementiam; in ſubmovendo Turca prudentiam ac Fortitudinem; in pacando Sueco bonitatem & dexteritatem, in omnibus demum actionibus quaſcunque tantum aggrederis, fortunam, & moderationem tam proſperarum, quàm adverſarum rerum orbi proponam. Intelligat ille, ad ſumma Tibi non deeſſe animum; intelligat Chriſtianitati à Deo, per Te maximam adventuram felicitatem. Ego verò, quia tempus & occaſio defuit, ut ſingulas victorias, diverſis gratulationibus proſequerer; hoc unico Panegyrico abſoluam, quod à me & ſingularis virtus Tua, & mea erga Tuam Majeſtatem obſervantia, expoſtulabunt.

BELLUM MOSCOVITICUM.

Vetera odia REX INVICTE inter Regnum Poloniæ & Ducatum Moſcoviæ à multis ſæculis interceſſerant, quæ modo inducijs exſpirantibus, modo indignitate aliquâ perpetratâ, recrudeſcebant. Nam cùm humanis ingenijs inſitum ſit, imperio inſolenter uti, nec facilè modum ſervare in ea re, quæ ſupra modum: tyrannus eorum ex libidine ſua cuncta agens, bella aut differebat, aut proclamabat; & tali quidem ratione, ut per omnes articulos tam Moſcoviæ, quàm Poloniæ gangræna ſanguinolenti belli ſæpius ſerperet. Vbi contentus non erat ſuis, vicina invadebat, quæ in defenſionem ſui, univerſam Rempub. trahebant. Nec id tantummodo circa terminos florentiſsimi Regni experiebatur, verùm etiam in citeriora terrarum progrediens, obvia quæque ſternebat ac proculcabat. Abacta pecora, vaſtatos agros, exuſta oppida, incenſos vicos, homines aut cruciatu propè enecatos, aut gladio ad internecionem deletos, majores noſtri cum mœrore viderant,

nos

nos cum ingenti dolore percepimus. Hominis naturam exueret, qui ad tanta crudelitatis vestigia non exhorresceret. Horret animus meminisse, quantâ rabie in gentem nostram asper ac efferatus ille populus sævierit. Calorem solis intensissimum perferre, frigus hiemis immanissimum pati, ardentissimum ignis ustulantis fragorem excipere Sarmata debuit, quando eum Moscus in suam fidem, ut ita dicam, infidam, recipere visus est. Hæc adhuc mediocria in conspectu ac facie orbis forent; nam agere & pati fortia, Polonorum est; nisi graviora scelerati animi inditia emersissent. Captivos nostros diuturnâ fame ac siti enecare, alligatos ad palum atrociter cedere, suspensos, ferro uncato intra costas & latera illorum adacto, cum exultatione & gaudio intueri, benevalentes excorticare, sanis oculos eruere, aures avellere, ex homine, ut uno concludam verbo, monstrum quoddam efformare, quid Moscis aliud fuit, si non jocus ac lusus? Paria quidem hæc erant vulnera, quando manum manu conserere non verebantur: hanc tamen eorum intolerandam sævitiam Majores nostri sæpius castigarunt. Inter cæteros Stephanus immortalis nominis Rex plurimis prælijs ac cladibus, eò illos adduxit, ut contra leges, instituta, religionemque suam, summum Pontificem adirent, & in mediatorem protectoremque Principatus sui, eum ultro assumerent. Nec Sigismundus Tertius æternâ memoriâ celebrandus Princeps, Pater Tuus, vindictam suam mitigavit, sed justâ incitatus injuriâ, impetum illorum retardavit, fregit, contrivit. Hoc nimirum magnorum Regum incumbit negotio, ut illatas injurias non solum propulsent, verùm etiam vindicent; ut pericula ultimum exitium patriæ minitantia, non

tam formident,quam avertant.In quo Divi prædecessores Tui, Rex Inclite,enituerunt,summamq; eâ ratione apud gentes laudem meruerunt, quod non privatum bonum, sed publicum cōmodum semper spectaverint. Nunquam eos formidolosi belli rumor cōterruit,non adventantis hostis celeritas de statu rectæ rationis deturbavit,non vexilla hostilia,circa Reipub. viscera hærentia terrefecerunt,at immotos,constātes, intrepidos,extra aleam suam, Fortuna rerum cunctarum Domina,constituit & collocavit.Quot prælia,tot exempla,quot victoriæ,tot testimonia.Commissis inter se aciebus & victricibus signis Parentis Tui, Moscus, nullo unquam tempore, resistere ausus est; vel si etiam ausus fuisset,non tamen potuisset. Ille invictus ejus animus, illa vigilantia, & rei militaris vigor, trophæa statuebant, statutis primis, alia mox præparabant. Quorum triumphorum,Te socium Pater pientissimus habere voluit, ut tempestivè patriam amare ac defendere inciperes, quæ Te delicias suas, à primo nativitatis Tuæ exordio (præsagiens futuram Tuam magnitudinem) diligere ac observare incepisset. Nam missus in florida Tua juventa, contra atrocem ac omnibus formidandum hostem, tam dextrè & tam generose militaria munia perficiebas, ut Te Cives Principem, milites Imperatorem,hostes suum dominum consalutarent. Et tunc pacem sibi dari expetebant, cum eorum Princeps pronunciatus fuisses. Quod equidem summo omnium applausu assecutus es;cui non tantum Magnum Moscoviæ ducatum,verùm etiam spatiosissimum quodcunq; in terris imperium,ob virtutem annos Tuos præcurrentem jure deberi,etiam hostis profiteri non erubuit. Tantis rebus & tam feliciter transactis,omnes Tibi,nominique nostro gratulabantur; omnes jam maturam, ac adultam

fore pa-

fore pacem existimabant. Verùm quid sub sole stabile? Animus hominis, igneus quidem, purus, sublimis, diuinus est; at raro constans, ac in proposito stabilis. Nam cùm ambulatoriæ sint nostræ cogitationes, ad quamvis auram facilè flectimur, facilius de vero virtutis ac constantiæ tramite deducimur. In quo autem animus hic rectè constitutus non est, & alijs imperat; grave humano generi exitium paratur. Hinc REX MAGNE intelliges, quanta in imperante adesse debeat constantia. Moscus enim suâ levitate ostendit, quàm periculosum sit, fidem ante tempus violare, & consilio prudentum non stare. Poterat suis terminis esse contentus, poterat finitâ certorum annorum pace à Te aliam expectare, si voluisset & petiisset. Gloriæ ac famæ Tuæ aliquid diminutum fuisset, si suæ securitati consuluisset (nam nisi ille ansam Tibi ad victoriam prębuisset, tantam nominis existimationem, quam orbis adorat, serius forsan acquisivisses) neque tot strages & clades hostium, si intra terminos suos se continuisset, in stuporem totum ferè mundum attraxissent. Sed turbulentus animus illius eo perduxit ipsum, ut contra jus gentium, quod sacrosanctum omnibus esse debet, ad bellum, nõdum inducijs exspirantibus, properaret ac festinaret. Ex omni terrarum parte milite convocato, exercitu apud nationes longinquas conscripto exercitato, classicum concinebat, pecunia nervo belli per totum ferè induciarum tempus collecto & parato totus irâ furoreq; percitus in nostrum interitum ruebat. Imaginem futuræ calamitatis tunc ob oculos sibi incolę proponebant. Colonus agrorum vastitatem prævidebat, mercator mercium suarum distractionem verebatur, studiosus dissolutionem artium liberalium dolebat, oẽs violationem quietis publicæ formidabant. Quanta inde mala orirẽ-

tur ingenio ſagaci multi concipiebant; Cum tamen difficile ſit, contra ſtimulum calcitrare, Imperatori & domino ſuo nomina dabant ac ſacramento ſe obſtringebant, ut paulo poſt tanquam pecora ad victimam ducerentur. Præmiſſus itaque Seinius in ditiones imperio Tuæ Majeſtatis ſubjectas, flammâ & ferro cuncta abſumebat, agros, domos, homines, vaſtabat, incendebat, enecabat. Formidoloſam adventus ſui ſpeciem omnibus præbebat, ut propter crudelitatem illius aut acies noſtræ conſiſterent, aut ſubditi ad reverentiam ejus converterentur. Primum impetum furibundi Ducis Smolenſcum, vrbs quâ fidelitate in Principem ſuum, quâ fortitudine in hoſtes, celebris, excepit. Premebatur arctâ obſidione illa civitas, quam hoſtes, portam Poloniæ eſſe credebant, Vicina oppida in ſummo metu erant, ne tam diuturno tempore ad ferociam Moſcorum reſervata fuiſſe viderentur. Quod remedium in tantis malis? Conſiſtendum ne erat Tibi, qui recenter in Regem Polonorum eligebaris, an progrediendum? Utrumq; ſalus patriæ expoſcebat. Nam & conſiſtere aliquamdiu poteras ut controverſias tempore interregni enatas, mitigares; & progredi volueras, ut hoſtem ad internecionem nos vocantem, protinùs fugares ac deleres. Omnis ſpes in celeritate poſita, omnis victoria in feſtinatione conſtituta fuit. Momento enim temporis res magnæ quandoque vertuntur. In omnibus verò actionibus celeritas recte prævisa laudatur, præſertim in bellicis ut plurimum commendatur; ubi à Deo, fortuna, & ſcientia militari victoriæ dependent. Poſtquam certior factus es, Moſcum hoſtiliter advolaſſe, illicò tanquam alter Hercules ad domanda monſtra, quæ fortitudini ſuæ pro exercitamento propoſuerat, velocior

velocior (quod dicitur) Euro, non habitâ ratione ſanitatis & Majeſtatis ad liberandum obſidione Smolenſcum, imò univerſam patriam accurriſti. Non te caſtella & munitiones in palæſtra Bredana artificioſe & ſummo cum ingenio excogitatæ retardarunt, non numeroſus atque ad extirpandam gentem noſtram conflatus exercitus terruit, non Ducum faſtus ac protervia ab inſtituto curſu revocavit: ſed hæc omnia, quæ alios dejicere de propoſito laudabili ſolent, Tibi majores auſus addidêre. Nam veluti ignis vel caſu, vel malignitate alicujus in tectum immiſſus, conceptá flammâ ac ardore, validiſsima ædificia abſumit & abſorbet, obvia quæque comminuens, ac in favillam convertens: Sic Tuus REX INCLITE igneus animus, edoctus illud periculum non niſi periculo vinci; Tua ignea ac fulminatrix acies exercitum illum hoſtilem, toti Europæ terribilem contempſit, contemptum facili negotio oppreſsit. Vix Te hoſtis Varſaviá egreſſum audierat; & jam aderas caſtraque Tua caſtris ejus opponebas. Vix Te militem colligere, ac inſtrumenta belli conquirere, per exploratores cognoverat; & jam civitati in auxilium advenaras, illumque caſtris pellebas, ac commeatu prohibebas. Solus Rex, vt miles, pugnaſti, ſolus Imperator ut gregarius, belli incommoditates pertuliſti. Duces ipſi Radzivilius & Kazanovius; quorum facta immortalitatem ſpirant, Tuis auſpiciis freti, virtuteque propriâ ſuffulti, quicquid attentarunt, perfecerunt. Nobilitas univerſa, & flos equeſtris ordinis Tuo ductu, per denſum mucronibus ac ſclopetis agmen ad gloriam animosè contendit. Milites cuncti Tuo exemplo per ardua militiæ experimenta victorias & triumphos maturarunt. In hac animorum conſenſione,

in hac Regis & militis vigilantia ac fortitudine Moscus aliquid sibi licere, ausus fuisset profiteri? Prævidit ille suam ruinam, cùm Te advenisse intellexisset. Scivit enim, quantum ad victoriam conferat, imperatoris promptitudo, & militum obedientia: quando ille loci & temporis commoditate utitur; hi benignitate imperantis non abutuntur. Hæc in Te, hæc in exercitu Tuo non desiderabantur. Idcircò quamprimum Seinius Tuas viderat acies, exhorruerat, & una cum militibus suis animo ceciderat. Frustra tantum exercitum se congregasse, frustra tormentorum & aliarum machinarum bellicarum ingentem numerum se comparasse advertit; ubi Tuam in administrandis negotiis dexteritatem & felicitatem perspexit. Multa consultò prætereo, ut tempori cedam, quæ manum Dei Tecum fuisse, & pro Te pugnasse, manifestè declarant. Quis enim non mirabitur, imo supra humana consilia & conatus ponet? quod intra exiguum tempus septuaginta octo millia hostium partim deleveris, partim in captivitatem abduxeris? quem non in stuporem convertet ipsius Seinij, atque aliorum belli ducum coërcitus fastus, & compressa arrogantia? Non ita pridem Poloniam vastare cogitarunt: Tu Moscoviam peragrasti, eam ferro atque igne castigasti. Ipsi militem nostrum contempserunt; Tu exercitum cum castris & duce magis temerario quam generoso, cepisti ac delevisti. Ipsi victorias somniarunt; Tu citius, quàm crederent aut sperarent, gloriosè triumphasti. Ante pedes Tuos procumbentem vidisti hostem, viribus suis effusè confidentem; ipsum Seinium cæterosque belli illius fautores ac promotores, submissè veniam deprecantes, Tamque Majestatem venerantes, conspexisti. Quid poterat esse ad solidam

lidam gloriam illuſtrius? Caſtris hoſtem exuiſſe, exercitum univerſum deleviſſe, Ducem ipſum cepiſſe, an exiguum opus? Non hiſce adhuc terminis Fortuna Te eſſe contentum voluit, ipſa Te in abditiorem Moſcoviam comitata eſt. Urbes, quot in conſpectum Tuum venerant, tot expugnaſti. Ad Bialam vario quidem Marte decertatum eſt, victor tamen evaſiſti, quia leges pro libitu ſanxiſti. Nam cùm incerti bellorum exitus ſint, magnum nomen ſibi is comparat, qui in iſta rerum viciſsitudine, æquanimitatis laudem adipiſcitur. Itinerum ac locorum incommoditates multos afflixerant, ſummo cum dolore Tuo, nihilominus idem Tu quoque perpeſſus es, cum maxima noſtrûm omnium & conſolatione & commiſeratione. Dolebamus, quod in pericula manifeſta Te conjiceres, qui ſalutem patriæ, ſalute Tuâ contines; at dolorem leniebat noſtrum, idem Tuus cum milite victus, idem ſomnus, eadem procedendi & commorandi iniquitas. Hâc itaque tolerantiâ provincias amplas emenſus, Tuo imperio eas ſubjeciſti; hâc celeritate agmina hoſtium præveniſti & fudiſti; hâc fiduciâ duces belli aggreſſus ad conditiones pacis petendas illos coëgiſti. Totus exercitus hoſtilis, qui ex tanta clade reliquus reſtabat, ditiones illæ, quas domuiſti, omnia denique jure belli acquiſita, jam Tua erant. Diſponere pro arbitrio rebus, militibus, ſubditis poteras; hos gladio ſubjicere, illos longâ captivitate conficere, alios ad cruciatus, alios ad ſervitutem condemnare, Tibi liberum erat. Verùm naturæ potius, quàm affectui obediendum ratus, ſatis Tibi fuit, parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. Hæc enim Regum ſummorum vera gloria eſt, cùm ſævire poſsint, clementer imperare; cùm vindicare injuria[illegible]m valeant, obliviſci

incom-

incommodorum tam sibi, quàm Regno illatorum. Varietatem fortunæ, quam reverenter habere & moderari consuevisti, tunc animo voluebas, quando ex tam numeroso hostium exercitu octo tantum millia remansisse cognovisti; quando cohortes militum, vexilla ante pedes Tuos deponentes; Seinium in genua demisso vultu ante Majestatem Tuam sese provolventem; cunctos, qui eorum partes secuti sunt miseriam suam deplorantes, perspexisti. Belluarum esse judicabas morē, vires suas exerere in inferiores, quos aut casus, aut malevolentia, in societatem calamitatis alienæ, deduxisset. Vitā proinde omnes, eos donasti, qui clementiam Tuam potius in castris, quam in campo aperto fortitudinem experiri maluerunt. Novum vincendi genus tunc reperisti, dum humanitate, non multitudine, benevolentiā non potentiâ; bonitate non crudelitate, cum hostibus certares. Quod profectò summam Tibi famam non tantum apud hostes, sed etiam apud omnes populos conciliavit, qui Tuam fortunam ac lenitatem potius sequentur, quàm Tyranni alicujus vultum ferocem aspicient. Cujus gloriæ neminem socium habes. Nam cùm ad victoriam duces, milites, instrumenta bellica, fortuna etiam præcipuum conferat adjumentum; Tuo quidem ductu & Tuis auspicijs, triumphos esse cumulatos, non tamen sine eorum auxilio prædicare potes. Verum clementem esse in hostes, in cives, in exteros, proprium Tuum est, cui propitius Mars absolutam vitæ & necis in omnes delinquentes dedit potestatem. Nec video quid magis deceat summos Reges, quàm Clementia; ut eā ratione amentur, non timeantur. Malus enim custos diuturnitatis est metus; benevolentia è contra, vel ad perpetuitatem fidelis. Multi

dum po-

dum potius timeri, quàm diligi malunt, miſerandum in modum interierunt. Te autem, O REX, hoſtes timent, atq; ad nominis Tui claritatem contremiſcunt; nos verò cives diligimus ac obſervamus: quanquam & adverſarij Te jam amare incipiunt, quia Te manſuetum eſſe adverterunt. Cum timore & tremore ad Te, qui dominus vitæ eorum fueras, acceſſerant; at poſtquam faciem Tuam plenam clementiæ, authoritatis, majeſtatis, conſpexerant, jam non de vita deſperare, ſed de eadem profundenda pro ſalute ac dignitate Tua, cogitare ceperant. Unde pars dicto Tibi ſacramento, in caſtris remanſit, pars ad Principem ſuum, Te conſentiente rediit, ut Tuam benignitatem extolleret, atque ad componendam pacem adhortaretur. Votis fortuna reſpondit. Quamprimum enim Magnus Dux Moſcoviæ, deletum exercitum ſuum, vaſtatos agros, exuſta oppida, incenſos vicos, cæteraque belli incommoda, cognoviſſet; illicò legatos ſuos expedivit, qui Tuam juſtam vindictam mitigarent, ac pacis leges acciperent. Quo in negotio uſus operâ Jacobus Zadzik Cancellarii Regni Poloniæ, tanquam alter Pyrrhus Cyneæ, qui ſuavi eloquio ſuo, urbes non minori numero, quàm Rex fortitudine ad deditionem compulit; illius inquam Epiſcopi curâ adhibitâ, qui nec laboribus, nec ingraveſcenti ætati ſuæ, propter commodum & Tuum, & Patriæ parcit, quæſitam pacem Moſcis conceſſiſti. Atque eam ob cauſam, quia bellum omnibus formidabile, brevi tempore extinxiſti, dum maturares in patriam iter; effuſo gaudio cuncti cives, primam laureatam coronam ob devictum Moſcum debitâ ratione & honore Tibi congratulabantur.

BELLUM TURCICUM.

Rebus ita feliciter in Moſcovia tranſactis, ad otium & quietem, ad munia pacis animum convertere placuit. Sed Gloria his Te gradibus, REX Magnanime, conſiſtere non permiſit, verùm ad trophæa in Oriente erigenda evocavit. Immaniſsimus enim Reip. Chriſtianæ hoſtis Turca: proprionè, an invidarum fortunæ Tuæ nationum inſtinctu, tempore infeſtiſsimo, dum Moſcum in Septentrione ad officium redigeres, ingenti exercitu è ditionibus ſuis congregato, eum cum Abazi Baſſa, ad regnum Tuum devaſtandum emiſit. Præcipitatus hic incurſus, non tãtum Poloniam, verùm etiam univerſam Chriſtianitatem conterruit. Multi externi falsò opinabantur, Te implicatum difficili cum Moſcis bello, huic reſiſtere minimè poſſe, quem Europæ magna pars veneratur, cujus nutum Aſia & Africa obſervat. Plurimi incolæ jam non de fortunis ſuis, ſed de ſalute deſperabant. Videre quisq; poterat ad loca ſummo Deo, Divisq; tutelaribus ſacrata, virginum procumbentium fletus, matronarum plorantium gemitus, juvenũ preces fundentium lachrymas. Omnium deniq; ordinum homines pietate & liberalitate majeſtatis divinæ iram lenientes, conſpiciebantur. Rumor tanti periculi & ruinę ad Te in Moſcoviam non uno aut obſcuro, ſed omnium claroq; ſermone pervenerat. Quid faciendum eſſet in hac rerum anguſtia tacitus revolvebas. Nam incepiſſe & nõ perfeciſſe, temeritatis & nocivæ rei vices quandoq; obtinet. Satius eſt non incipere, quàm cum dedecore deſiſtere. Hoc Te etiam Magni animi Principem ſtimulabat, ut potius inchoatum bellum cum Moſcis ad exitum optatum perduceres, quàm hoc deſerto, aliud inchoares. Ne tamen & hoc in paſſu bona ac vita noſtra vacillarent, ad Stanislaum Koniecpolſcium Generalem

ralem exercitus Tui ducem citato gradu expedivisti nuncium, ut Reipub. in Tua absentia consuleret, ac desperatis jam prope rebus, insperatam opem adferret. Ille Tuis auspiciis innixus, alter velut Parmenio sub Alexandri Magni imperio intrepidè contra hostem eduxit copias; ac Imperatoris boni, & militis strenui functiones perfectè adimplevit. Nihil vel ad prudenter in castris disponendum, vel ad fortiter pugnandum, vel ad aciem artificiosè instruendam deesse potuit: cùm omnia animosè, patienter, constanter, summa cum laude & merito perficeret. Et quis sub Tuo sole certas victorias sibi non promitteret? Ingruente periculo, universa illius territorii nobilitas unanimi consensu, & propendentibus in unum votis, ad castra, ad Ducem, sui defendendi, protegendæque patriæ causâ, confluxit. Labores & impensas nihili æstimavit, dummodo Tu incolumis, Respub. salva permaneret. Civium enim patriam suam amantium munus esse ducebat, facultates & vitã profundere, ut tantum publicum bonum aut inviolatè conservetur, aut studiosè augeatur. Inde proveniebat, ut ad nomen Tuum, omnibus hostibus formidabile, summo exercituum duci, nomina illi darent, quicunq; patriam adhuc florere ac vigere cuperẽt. Ipse belli Imperator nec consilio nec viribus deficiebat; sed contra Abazi Bassam, qui nomen sibi ex perfido & scelerato bello (fidem enim fregerat) sollicitè quærebat, magno fidentiq; animo, quod venturæ victoriæ certum esse inditium solet, acies promovebat. Postquam hostis castra castris, viros viris, oppositos videret, subito adventu militum Tuorum consternatus, quid consilii caperet, anxiè ruminabatur. Nam cũ nos imparatos, alijsq; difficultatibus implicatos esse existimaret, totã Poloniam

inani spe jam ad direptiones, jam ad cædes destinaverat: sed ubi strenuum militem, fortem Imperatorem, acies optimè instructas advertit, quid agendum esset, seriò cogitabat, & inter sacrum saxumque (ut dicitur) stabat. Moras tandem nectere, velitationibus tempus eludere, occasiones bene gerendæ rei aut penitus tollere, aut datas nullatenus admittere cepit; ut tanto turpius è patria nostra fugeret, quanto celerius omnium opinione advolasset. Neque nostris militibus in hac hostium consternatione animus deerat, quacunque ratione poterant, extremum ipsorum agmen carpebant. Ac veluti in undoso mari tempestate aliquâ agitato, fluctus sese insequentes, & quodammodo sese absorbentes, conspiciuntur; ii verò præ cæteris maximè triumphare videntur, qui in littore ipsi jam securi, alios, quos ventus rapit, protrudunt: ita etiam in illa camporum vastitate, dum Abazi Bassa ex septuaginta millibus militum suorum, vix medietatem ad Imperatorem Turcarum reduceret, & unus præ alio nobilior in fuga esse vellet, proprio impetu, multi interierant, quos autem nostri milites assecuti sunt, eos cædebant, nullo à tergo hoste relicto, omnique periculo immunes. Atque sic furibundus Turcarum Dux, nucleo amisso, pignoris loco sibi putamina reliquit, ne Polonorum oblivisceretur. Hâc fuga suorum concitatus, ipse Imperator in vindictam exarsit, ac superbè spreto legato Tuo, arma & viros apparabat. Asiæ & Africæ potentiam ac molem in Tuum conferre Regnum voluit, ut sicut cæteris, multa per fraudem, summumque scelus eripuerat, ita etiam Tibi in Europa amplissimas provincias possidenti, per vim aliquid adimeret. Spargebantur rumores, volitabant tabellæ, quæ pompam expeditionis ejus

 continen-

continentes, terrorem illis injiciebant, qui certiorem in humano consilio ac potentia, quàm in divino auxilio & justa causa, spem reponebant. Non suorum consiliariũm dissuasione, non Osmani exemplo recenti, non Polonorum spectatâ illis in bellis virtute ac robore movebatur; sed fastu ac furore plenus, status nostri, vel potius sui, labefactionem tanquam è specula aliqua prospiciebat. Sic immensa Regna tandem suis viribus fatiscunt, nec quidquam durabile esse potest, quod violento modo in virium & divitiarum accessionem, inhiat. Exigua sæpè imperia, salubri & moderato consilio firmata, citiùs ad speratam felicitatem perveniunt, quam illa, quæ nimiam amplificationem inaniter concupiscunt. Quo in negotio, REX Invicte, prudentia Tua, quam semper omnibus in rebus comitem habes, & quæ, majora in dies capit incrementa, maximè enituit. Tuo contentus, aliena non appetis, verùm in manus datâ per hostem occasione, vetera dominia recuperas, fines Reipub. protendis, antiquas consuetudines revocas, pacta cum Majoribus Tuis conventa repetis & confirmas. Quæ imperandi ratio felicior & securior cæteris omnibus esse solet, cùm candido pectore, exporrectâque fronte, Machiavellicorum Politicorum (quos seculum hoc, & libido regnandi produxit) dolos, & captiones eludis, qui cum fallere intendunt, ipsi maximè falluntur, consiliorumque, in aliorum perniciem directorum, ipsi pœnas luunt. In hanc labem Respub. nostra nunquam incidit quæ hostem aperto Marte, non occultâ fraude prosternebat. Tu quoque divorum prædecessorum Tuorum gloriæ hæres, nihil simulatè, nihil fictè agis, id unum curas, ut hostes fidem, vicini amorem, cives benevolentiam Tuam experiantur. Quod

luculenter cum in aliis Reipub.ſummis anguſtiis,tum præſertim in hoc Turcico bello teſtatus es.Cùm enim juſtam nactus fuiſſes occaſionem arma transferendi in ditiones Imperatoris Turcarum, tanquam laceſsitus injuriâ; expectare tamen ulteriorem progreſſum malebas, quàm fidei ſemel datæ, aliquam ignominiæ notam inurere. Pacato feliciter Moſco,in itinere non aliud animo Tuo,niſi Turcicum bellum,quod periculoſius & propinquius erat,obverſabatur.Quâ ratione aut mitigandum,aut penitùs eradicandum eſſet, diligenter providebas. Non eras neſcius, negotiorum perplexitatem conſilio prudenti expediendam eſſe. Plurimi infelicem eventum rerum ſuarum ſerò doluerunt, quòd illum, dum tempore idoneo gauderent, ſagaci ingenio non prævidiſſent, nec expendiſſent. Diu deliberandum eſt, ut citius deliberata exequi valeas. Ideo in otio minimè otioſus fuiſti,ac tum maxime de integritate ac ſalute Reipub. cogitabas, cum Te alij ſolum eſſe, arbitrarentur. In patriam verò redux, vix diebus aliquot reſpiraſti, vix pulverem ex Moſcoviticis concertationibus conceptum abſterſiſti, confeſtim ad alteram gloriæ palmam, manibus pedibuſque (ut ajunt) ruebas. Et ne quis vanus id Te temerè vel incipere,vel agere argueret,comitia indixiſti,conſilia communicaſti, ut proceres ac equites ampliſsimi Regni,& Tuæ,& Patriæ incolumitati proſpicerent.Ingens tum admiratio,cunctorum animos perculit,quòd Te fatigatum,ac laboribus feſſum, materia jam jam adventantis felicitatis non ſineret quieſcere. Qualem,inquiebant,habituri ſumus Regem, quàm glorioſum,quàm potentem? qui ſanitatem & theſaurum, conſervandæ Reipub. dignitatis causâ profundit? Sequamur hunc, qui majorum ſuorum, non ad-

non adæquare, sed superare virtutem nititur. Progrediamur in hostem toti Christianitati infensissimum hoc Duce, hoc Rege, hoc VLADISLAO, superiores, victores, triumphatores evademus. Comitemur hunc, qui fidem hostibus inviolatè servat, qui prudentiæ & fortitudinis suæ viva omnibus præbet argumenta, qui potius sub dio, & in castris, quàm sub aurato tecto & in splendidis ædificiis, ætatem floridam mavult transigere. Non nobis sumptus, quos erogare pro patria decorum est, non mors, quam oppetere pro gloria jucundum videtur, aliquam difficultatem injiciant; verùm sub signis victricibus Regis nostri, qui ultor sanguinis innocui, illius Vladislai, qui ad Varnam occubuit, à Deo datus est, illum hostem prosternamus, qui ruinam & occasum Reipub. Christianæ minitatur. Tales, REX MAGNE, sermones de Te ferebantur, quos altus & magnanimus Tuus animus ex cordibus omnium elicuit. Neque ullus repertus est, qui in administrandis bellis, præsertim hoc Turcico Tuam prudentiam, & constantem mentem non admiraretur, non deprædicaret. Nec immeritò: nam ubi domesticis providisti negotiis, ne quid mora & cunctatio detrimenti Regno adferret, præmissis tormentis, cæterisque ad bellum ritè gerendum, instrumentis, itineri Te accinxisti. Jam etiam exercitus Tuus, cum Ductore suo in castris, alacri animo Te præstolabatur. Numerus quoque voluntariorum, qui Tibi & patriæ se fortunasque suas devoverant, augebatur. Thomæ Zamoscii, Stanislai Lubomierscii, Visnieviciorum, Ducis de Ostrog, Tiskevicii, ac cæterorum virorum, qui heroicis suis factis, strenuitate, fortitudine, ad immortalitatem tendunt, copiæ confluebant. Te solummodo requirebant, cujus virtuti for-

tunam

tunam esse adnexam sciebant. Te præsente, nullas acies, nullum hostem, nullum impetum pertimescebant, quin imo audacter fidenterque victoriam, sibi pollicebantur. Et quem obsecro non excitaret ille heroicus Tuus animus? quem non commoveret illud Tuum generosum pectus? Cùm enim fortitudo non solum in subeundis, verùm etiam in perferendis periculis consistat; laudem sanè Magnanimitatis consecutus es, quando vultum plenum lætitiæ, voluptatis, securitatis, civibus hoc metu consternatis ostentasti. Verebamur jam omnes, ne vis hostilis faceret opes nostras æquabiles; timebamus, ne manus eorum sanguinolentæ, nobis libertatem eriperent; solliciti eramus, ne cum opibus, & libertate, vitam simul amitteremus. At, quam primum Tuam nobis intueri præsentiam datum est, subitò timor omnis evanuit, qui non tam ex pusillanimitate, quàm ex periculi gravitate, ortus erat. Nam cùm Te videremus contra hostem fidenter & audacter procedere; cum perpenderemus Tuam arduis in rebus patientiam, in adversis constantiam, in dubiis perseverantiam, fracti timore assiduo, jam erigebamur, mentesque nostras Te auctore & adjutore, altiori fortunæ componebamus. Fit plerumq;, ut subditi ad Domini sui, cives ad Principis voluntatem, sese accommodent; & hoc læto, illi læti sint, hoc consternato, illi mœrore doloreque repleantur. Et sicut Helitropium ad Solis motum obvertitur, illiusque quodammodo ductu, circulariter fertur: ita etiam regnicolæ, sui Regis animo, proprias cogitationes metiuntur. Tu, REX Invicte, cùm æquus moderator fortunæ sis, nunquam nobis causam tristitiæ præbuisti; & quamvis tempore iniquo, bella importuna ac difficilia ingruerent; tamen alacri fortiq;

animo ſpem non exiguam, futuræ victoriæ nobis frequenter exhibuiſti, atque etiam nunc exhibes. Ille hoſtis, quem Italorum, Hiſpanorumque celeberrimarum in orbe nationum, vires ac opes, non validè reprimunt; cum quo Galli fœdus amicitiamque inierunt, Tuæ fortunæ, virtutiq; cedere coactus fuit. Nondum in caſtra Tua, milite promptiſſimo ſtrenuiſſimiſq; ducibus, refertiſſima adveniſti; nondum acierum pulcherrimè diſpoſitarum ſpectator adfuiſti; nondum timpanorum ſonitu, & tubarum clãgore, ſignum pugnæ dari militesq; ad certamen excitari, vidiſti; & jam ipſe Turcarum tyrannus, cum colluvie gentium ſuarum, de Tuo adventu certior factus trepidabat, ac pacem ante per Legatum Tuum oblatam, à ſe verò ſpretam neglectamque expoſcebat. Noluit enim ancipiti Martis aleæ ſe committere, ſiquidem nõ ignorabat, ſe cum illo in prælium campeſtre deſcendere, qui artem hãc ac luſum, plurimis periculis ac ſummis laboribus, ſibi familiarem felicemq;, hoſtibus formidabilem ac infelicem effeciſſet. Nam cùm bella famâ plerumque conſtent, gerantur prudentiâ, perficiantur experientiâ, roborentur victoriâ; nemo unquam dubitavit de proſpero hujus belli eventu, quod illa omnia Tibi adeſſe, omnes adverteremus. Hinc benè ſibi conſuluiſſe Turca judicandus eſt, qui Tuam præſentiam non exſpectare; ſed potius litem hanc difficilem, non prælio, verùm velitatione, non certamine, at pace, ſopire ac finire voluit. Poſtquam enim Te Leopolis victorem ex bello Moſcovitico conſalutaret, & bono omine alios triumphos gratularetur; ecce adveniunt è caſtris viri pacem ferentes, & pacta cum Sigiſmundo Primo revocantes ac confirmantes. Facilè id à Te impetrarunt, qui acquiſita majorum Tuorum induſtriâ prudenter

potius conſervare & tueri, quàm aliena avidè concupiſcere, ac fraudulenter rapere elaboras. Atq; ea ratione formidandum Chriſtiano orbi bellum, ſine cruore, ſine cæde civium, ſolo nominis Tui terrore, Tuæq; virtutis majeſtate ſuſtuliſti. Maxima tunc omnium lætitia hominum erat; ſumma geſtientis animi ſigna cuncta proferebant, quando eum hoſtem ad viſcera Regni penetrare non permiſiſti, qui inſtar accipitris, quicquid unguibus apprehendit, illud firmiter tenet & diſcerpit. Ideo univerſa Chriſtianitas, quæ Te murum ac defenſorem ſuum contra Turcarum inſolentiam agnoſcit, alterâ laureatâ coronâ, ſacroſanctum verticem Tuum inſignivit.

BELLUM SVETICUM.

Potentiſsimis hoſtibus taliter coërcitis, Suecia Regnum Tuum hæreditarium, per alium vero uſurpatum obtentumque, domanda reſtabat. Non mediocre opus; tot annorum & temporum difficultates, exiguo temporis intervallo, tollere. Divus Parens Tuus, faſtum & pertinaciam eorum, tanquam rebellium ſubditorum, ſæpius depreſsit, & variis ſecundisq; præliis, in ipſis penetralibus Regni Sueciæ, in Livonia, & Pruſsia, eos afflixit; fortuna tamen coronam hanc gloriæ Tibi reſervavit, ut juſto ſolertique ingenio, illos ad ſaniorem mentem reduceres. Exſpiraverant jam ſexennales Induciæ; ad arma, ad cædes, ad bellum cuncti confluebant. Alij, quis rerum exitus futurus eſſet, à longè proſpectabant; alii, qui præteritis cladibus ad ſummam egeſtatem devenerunt, anxiis ac dubiis animis, aut ultimam miſeriam, aut expetitam pacem ſperabant. In hac animorum & civium diſtractione, Tu ſolus Dominus & arbiter pacis belliq;, providebas, quid cum Majeſtate Tua, dignitate Regni, authoritate Senatus, incolumitate equeſtris ordinis,

bono universæ patriæ statuendum esset. Nihil enim ad laudem & commendationem perpetuam, præclarius Principi accidere potest, quàm cum status sui, quem regit, rationes optimè novit, & secundum eas cursum victoriarum moderatur. Quis autem peritior Te regnandi artifex? quis acuratior dominandi magister? quis clarior in imperando Princeps? Si à teneris assuescere multum est: in ipso flore juventutis hæc Tua palæstra, hæc Tua exercitatio erat; Obedire, & Imperare. Cupiditates rationi subjecisti, affectus refrenasti; & tum corpus morigerum se præbuit; dum animus imperium obtineret. Sed non tantum hoc Tuum Imperium erat; fuit & aliud, quod placido animo obire didiceras. Sacratissimæ memoriæ Parens Tuus, aptum Te imperio cùm adverteret, nullum prætermisit tempus, quo Te ad publica negotia non vocaret, & ab ipsa juventa, artibus benè imperandi non imbueret. Nunquam, sive quid publicè, sive quid privatim ageret, à latere suo Te discedere voluit, ut ad animi dotes, quas maximas & raras inter Principes, Tibi natura contulit, usum rerum adjungeres. Hoc igitur ex fonte, singularis in patriam civesque Tuos amor promanavit; quos cum damno suo, nonnunquam etiam periculo conatus es incolumes videre. Ex florentissimo Regno, flos juventutis, ad extinguendum in Prussia incendium, quo jam jam conflagrare, & in favillam converti debuit, confluxerat. Dux ipse exercituum, animo & viribus potens, Tuis auspicijs innixus, jam classicum concinnere, & pugnam inire paratus erat. Miles Tuo ductu in confertissimas hostium acies prorumpere voluerat. Cohortes splendidissimæ ac robustissimæ, Tuum

nutum attendebant. Quid multis? cuncti eo animo in provinciam venerant, ut, aut morerentur aut vincerent. Neutrum REX MAGNE permisisti, ut vel mortem acerbam subirent, vel cruentam victoriam Tibi pararent. Vicisti Tu, vicerunt milites, vicimus nos omnes sine prælio, sine sanguinis profusione, sine internecione. ô Regum laus maxima! ô Principum vera gloria! Triumphare sine spoliis, Dei opus est, qui dat, non accipit beneficia. Spolia sine triumpho congregare, hominis conditionem superat. Quæ vero Tua spolia, quis triumphus est? Hostem accedentem ad Te iniquis, ferocibus, superbis conditionibus, qui supplex ad Te velut ad Dominum suum venire debuit, humanitate, benignitate, clementiâ vincis; & tum triumphas. Eundem multa sibi attribuentem, non armis vindicas, sed ratione justitiâque ad reverentiam Tui nominis compellis; & tum exuvias detrahis. Remansit fertilissima Regio PRUSSIA; tot civitates, & castella, quæ externis etiam, aliorum litteris & sermone, celebratis fortalitijs æquantur, remanserunt. Tibi suam incolumitatem & Fortunam debent, qui provinciam universam ex hoc naufragio eripuisti. Clementiâ itaque bellum hoc, quod jam cervicibus nostris imminebat sustulisti, non autem sanguine civium extinxisti. Non quod formidares, cum eo hoste in certamen descendere, qui campo aperto semper Polonum fortem & alacrem miratus est; verùm, quia cives in discrimen conjicere noluisti. Et quis obsecro viribus Tuis restitisset, qui Turcam, Moscum, potentissimos Europæ Monarchas, exiguo temporis spatio, & parvo exercitu, ad officium

officium redegit? Quis Fortitudinem Tuam tentare ausus fuisset, qui dexteritate, celeritate, magnanimitate adversarios Tuos superasti? Quis Tecum congredi voluisset, quem Fortuna rerum dominatrix, semper comitatur? Celebri etenim apud gentes famâ Principes illi resplendent, qui non tam armis, quàm virtutibus hostes in sui admirationem pertrahunt. Quod sane Tibi accidisse, gloriari potes. Cum Turca & Mosco, armis ac omni virtutum genere decertasti; cum Sueco justitiâ ac clementiâ contendisti. Florem totius nobilitatis Polonicæ, dubio Martis eventui committere detractasti; aliud certamen minus periculosum, magis verò proficuum delegisti. Locum Tractatuum assignasti, ut ibi à latere Tuo deputati Commissarij, aut de pace, aut de ulterioribus inducijs, certi aliquid statuerent. Principum etiam Christianorum Legati aderant, qui controversias utrobique enatas, vel sopirent, vel tollerent. Duriores conditiones petere cœperat hostis; quibus Tu exacerbatus, classicum jam cecinisses, ac milites ad pugnam disposuisses, nisi publicæ tranquillitatis cura, animo Tuo infixa hæsisset, altasque jam radices egisset. Et sicut magna flumina rapidissimo fluxu, cum detrimento maximo rupium & domorum adjacentium, in mare decurrerent, nisi vis aliqua major, aut obstaculum è terra efformatum, aggervè illorum rapacitatem ac pernicitatem retardaret; Sic tu fluminis instar, cum exercitu Tuo, multoties victorioso, in hosticum penetrare decrevisti, obvia quæque sternere, vastare, annihilare cogitans; nisi vis major, patriæ scilicet incolumitas, quæ multis quassata calamitatibus, solatium à Te expectabat,

 furo-

furorem Tuum, justè in hostes conceptum, repressisset. Quanquam in ea hostium pertinaciâ, quis pacem sperasset? in eo belli apparatu, quis salutem quæsivisset? De die in diem Te trahere, occasionem ac tempus rei benè ac cõmodè gerendæ præripere; fortitudinem Tuam tentare videbantur, cùm novas semper conditiones in medium afferent. Quod tu sagaci solertique ingenio dum adverteres, majorem etiam apparatum bellicum comparare non destitisti. Milites quotidie ex omnibus Regni Tui partibus adventabant. Tormenta, pulveris immensam copiam, cætera belli fomenta, Vistula celebratum apud historicos flumen, in castra ad ripas suas, pulcherrimè disposita, devehebat. Cunctorum animi in bellum propendebant, & quid æquo Marte, collisus in campo patente inter se exercitus, statueret, prospectabant. Non in Duce alacritas, non in milite ardor defuerat; sicut hic, imperium illius, nutumque Tuum expectabat; ita ille hostium consilia notabat ac observabat. Nihil verò ad victoriam obtinendam accommodatius esse potest, quàm Imperatoris militumque strenuitas; cum ille consilio & circumspectione; hi promptitudine, agilitateque animi & corporis, publicam incolumitatem tutantur promoventque. Ejusmodi viris, non armata vis, non confertæ hostium acies, non densa agmina resistunt: verùm ultro virtuti illorum cedentes, se eis omnes submittunt, ac dedunt. Itaque virtutem tam militum nostrorum, quàm hostium procaciam experiri noluisti; ut nimirum posteri majorem ex eo laudem & immortalitatis gloriam Tibi deferrent. Commissariorum nostrorum, quos delegisti, præcipua cura in tractandis Suecorum animis tunc elucebat, in quibus nihil deerat, vel ad Reipub.

dignita-

dignitatem tuendam, vel ad commodum ejus propagandum. Tempus tamen præfixum cum effluxisset, nihilque certi conclusum fuisset, ad pugnam iterum exercitus Tuus animum & manus disponebat. Mora enim Tibi molesta erat, & nisi ad æquiores conditiones descendissent, campi cruentati, utriusque partis collisione serò interitum civium deplorassent. Idcirco pertinaciam illorum, vel potiùs morum austeritatem, humanitate atque clementiâ mitigare maluisti, quàm apud posteros, incorruptos actionum nostrarum æstimatores, malè audire. Diuturno tempore deliberasti, an conditiones, quæ Majestati Tuæ commendabantur, approbares, an eas subscriberes, quas tam Mediatores Principum externorum, quàm Commissarij & nostri, & hostium constituissent. Vicit tamen publica utilitas, vicit patriæ caritas, vicit civium incolumitas. Approbasti, subscripsisti, consensisti in conditiones viginti sex annis (quibus utinam Te Regem nostrum clementissimum, florentem semper ac incolumem cũ felici ad ulteriores quamplurimos progressu conspiciamus) duraturas. Quæ exultatio, quod gaudium, cùm Prussiæ, tum universæ patriæ tunc fuerit; vix audeo commemorare; ne dum commemoro, aliquid potius omittam, quàm perfectè munus id adimpleam. Etenim exultant templa, quæ superiorum temporum injuriâ ab hoste spoliata ac profanata fuerunt; jam ad nitorem, & cultum veterem redibunt: quod Tibi beneficium immortalis Deus remunerabit. Lætantur artes liberales, quibus erudiri, ut ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitentur, præclarum est, & quæ jam prostratæ ac derelictæ videbantur; Tibi decus suum & immortalitatem donabunt. Rident prata, quæ arida, conculcata, desertaque jacebant;

nunc ad pristinum vigorem ac florem restituta, Te omni ubertate ac felicitate beabunt. Triumphant agricolæ, qui, cùm labor & sudor eorum infestissimo belli tempore inutilis esset, ab agro ad militiam, ab aratro ad gladium, à stiva ad hastam compulsi coactique erant: modo culturam suam Tibi consecrabunt, ut maturos & copiosos fructus è terra congregare valeas. Gaudent ad extremum omnes omnium ordinum homines, quibus tranquillitatem, ocium, pacem peperisti: Tuo nomini, pro tanta in se benignitate ac clementia, æternitatem vovent ac optabunt. Quid jam ulterius prosequar? quid majus recenseam? Magnitudo ubi jam supremitatem & fastigium ultimum attigit, suâ tandem mole deprimitur, & parvis momentis libramentisque ad eum terminum, unde initium duxit, regreditur. Verum hoc in Te Politicorum effatum cadere non potest. Fortuna, vel potius, ut Christiano more loquar, immensus ille & æternus Deus, Te, ubi ad summa perduxit, ijsdem terminis & gradibus consistere vult. Hanc Tuæ excelsæ menti inspiravit prudentiam, ut Te in adversis & prosperis semper eundem præstes. Non elatus, nec depressus, eodem tramite incedis; quod sanè regium est. Quanquam felicissimo hoc tempore, quo gubernacula Regni moderaris, quid unquam adversi accidit? Clades quidem parvæ, quod fieri, amat in bellis, advenerant, non tamen Tuum animum depresserant, qui invictus, ad utramque fortunam, paratusque esse solet. Magna plerumque imperia, magnas difficultates habent: & plurimis periculis, fortunæque jactationibus expositi illi sunt, qui onus illud, humeris suis aliquando impar, suscipiunt. Non enim stultam fiduciam per-

mansuræ in ævum potentiæ deponunt; non discunt mobilia esse, quæ dedit casus, majoreque cursu ea fugere, quàm veniunt; nec his portionibus, quibus ad summa perventum est, retro iri, sæpe inter fortunam maximam & ultimam nihil interesse. Non considerant, immodica nunquam regi posse, nec diu durare, quicquid regi non potest. Hinc evenit, ut ejus solius rei inopiâ laborent magna fastigia, & id unum omnia possidentibus desit, quod aut cupiditatis sitim non extinguant, aut hominem inter mendacia torpentem, ipsaque consuetudine, blanda pro rectis, falsa pro veris proferentem, audiant. Quæ Tu REX Invicte omnia pro ingenij Tui sagacitate, ac recto mentis judicio, despicis & contemnis. Non plus appetis, quàm ferre potes; non tam hominum suavissimè blandientium obtemperas consilio, quàm eruditissimorum virorum & de Repub. benè meritorum authoritati inniteris. In dubijs, in adversis, in lætis sapienter Te geris, ut nimirum dubia prudenter tractes, adversa fortiter feras, læta moderatè administres. Hoc Regno nostro divinitus datum est, ut talem Te Principem nancisceremur, qui hostes, & Te ipsum vincere, (quæ victoria præstantior est) ac domare scias; qui non proprium commodum, sed publicam utilitatem spectes; qui civium salute, Tuam contineri credas. Nec aliud gens libertati assueta à Tua majestate expectabat, nisi ut illam defenderes, quæ objectu pectorum suorum à Te periculum omne, parata esset propulsare, ut illam præsidio Tuo ac consilio fulcires, quam liberam esse, gratuito animo gloriaris.

Pro tantis itaque beneficijs Christianæ Reipub.

præsti-

præstitis, REX INCLITE, Tibi orbis universus, quod consuevit facere Regibus ac Principibus benè de se meritis MAGNI cognomen, summo cum consensu & applausu defert. MAGNUS enim es, qui Pompejum Magnum victoriis & triumphis æquasti. MAGNUS es, qui Alexandrum Magnum liberalitate, clementiâ, dexteritate in bellis administrandis vicisti; MAGNUS es, qui Cazimirum Magnum, prædecessorem Tuum, amore in cives, benevolentiâ in exteros, fortitudine in hostes, longo intervallo post Te reliquisti; MAGNUS es, qui Boleslaum Chrabri fortunâ, & Divinâ mente adæquasti. Quid ni dicam superasti? Limites ille Poloniæ distinxit ac separavit ab aliis regionibus ferreis columnis: Tu hisce non contentus, adjecisti Severiensem, Czernechoviensem, Novogrodensem Ducatus, ut ad fortunam Divorum antecessorum Tuorum, Tuam quoque adjiceres, ut exemplo hoc posteros ad immortalitatis gloriam invitares. Ille factis gloriæque suæ, quodammodo terminum constituit; Tu ad majora erigens animum, non nisi gravi lacessitus injuriâ, patriam & nominis celebritate, & opum magnitudine promovere proposuisti. Præclarum erat Moscum ferociter viribus suis confidentem, ad reverentiam nominis sui compellere: præclarius Turcam minaciter & crudeliter, infesta signa Poloniæ inferentem, reprimere, ejusque conatus retardare ac evertere: præclarissimum verò, Suecos sine sanguinis effusione, sine dimicatione, ad pacem inclinatos, placare, & patriæ multis calamitatibus & cladibus fractæ, succurrere. Superest VLADISLAE MAGNE, vt eam pacem,

quam universo Regno conciliasti; justitiâ ac prudentiâ, quæ Tibi virtutes innatæ sunt, clariorem efficias; ut non minus in Toga Te præstantem, quàm in Sago invictum, sera posteritas admiretur, & concelebret.

DIXI.



